





Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
S I S T E N S
20
POSITIONES TUMULTUARIAS
D E *20*
HÆMORRHOIDIBUS
Q U A S

Auctoritate gravissimi Medicorum ordinis

PRO LICENTIA
SUMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI

Die XII Septembris A. R. S. MDCCXV.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
JO. FRANC. FRIDERICUS FRISON
MAYCAMERA SPIRENSIS.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI,

Apud CHRISTMANN & LEVRULT, Regiæ Intendentia
Alsaticæ Typographos.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.

RE

C

PH

WE

C



EMINENTISSIMO
REVERENDISSIMO & CELSISSIMO
P R I N C I P I

A C

D O M I N O

D. FRANCISCO
CHRISTOPHORO

S. R. I. P R I N C I P I

S. R. E.

PRESBYTERO CARDINALI,
EPISCOPO SPIRENSI,
WEISSENBURGENSIS ET ODENHEIMENSIS
CAPITULORUM PRINCIPALI PRÆPOSITO NATO,
&c. &c.



PRINCIPI
JUSTO, PIO, PRUDENTI,
BENIGNO MUSARUM
PATRONO,
DOMINO

AC

MÆCENATI SUO CLEMENTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PAGELLAS

IN

DEBITUM CULTUS, ATQUE SUBMISSIONIS
TESTIMONIUM

HUMILI, GRATA, PIA MENTE

D. D. D

JO. FRANC. FRIDER. FRISON.



DE HÆMORRHOIDIBUS.

§. I.



HÆMORRHOIS à græco vocabulo *αἷμα* cruor & *ῥίω* fluo, latinis quodcunque sanguinis profuvium, Medicis verò cruoris spontaneam ex matris recti, aut ani emanationem significat. Hic fluxus ab HIPPOCRATE *L. de morb. mulier & GAL. L. 5. aph. 33.* jam celebratus, atque sub nomine hæmorrhoidis catamenialis veniens, omnibus, qui HIPPOC. & GALENUM secuti sunt, auctoribus, præsertim autem Germanis adeo laudatus fuit, ut cum *aurea vena* (die goldene Ader) titulo insigniverint.

§. II.

HIPPOCRATES, a bile, & pituita ad rectum decumbente, sanguinemque ibidem calefaciente, attracto per calorem ex aliis venis cruore, fluxum hæmorrhoidalem derivat. Eandem cum HIPPOCRATE secundum FR. VALES. *Controv.*

A

M

MO

S

NIS

E

RISON.



Med. L. 8. p. 375. veteres de hæmorrhoidibus sententiam stabilierunt, putâruntque crassum, feculentum, melancholicum sanguinem, à jecore, & universo corpore suppeditatum, asatum, crassum redditum, per venas hæmorrhoidales è corpore expurgari, quemadmodum viris præcipuè post quadragesimum ætatis annum, ubi nihil amplius in nutrimentum corporis cedit, & fœminis post partum, aut suppressis menstruis, ut ajunt, evenit. *Vid.* CHRISTOPH. A VEGA. L. III. f. VII.

§. I I I.

Cum igitur melancholico sanguine per venas hæmorrhoidales corpus liberari opinio veteribus hæserit, magnam inde in sanitatem emolumenta emanare putantes, & HIPPOCRATIS *f. VI. aph. XII. hæmorrhoidas curanti diuturnas, nisi una servata fuerit, periculum est, ne hydrops, aut tabes superveniat*, auctoritate obcæcati, salubrem hancce evacuationem, ne præmaturam ejusdem cohibitionem hydrops, aut tabes consequantur, semper sustentari contendunt. *Si ora venarum sanguinem solida fundere, subito suppressa sint, aut aqua intercus, aut tabes sequitur.* CELS. L. III. C. VII. AETIUS solus L. XIV. C. V. veterum refutans sententiam, HIPPOCRATIS verba interpretatur, atque contendit, eum non, *nisi una servata fuerit*, sed, *si adveserit*, id est, *si æger non in congruenti victu conservetur, & omnes hæmorrhoides claudantur, periculum hydrops aut tabis imminere*, scripsisse. Quod quidem falsò HIPPOCRATI adscribit AETIUS, nam expressè *in aph. citato ἢ μὴ μία φλεῖται* (id est, *nisi una*

nia, servata fuerit, occurrit. Nostrâ opinione, si eam proponere liceat, hemorrhoides semper & ubique statum præternaturalem indicant, cum autem omnis status præternaturalis morbus sit, ideo hæmorrhoidas quasque inter morborum catalogum referre non erubescio, nullique nec auctoritati, nec systemati inhærens, quid de re ipsâ sentiam, paucis explanaturus sum.

§. I V.

Ne de squalore & incommoditatibus è fluxu hæmorrhoidum etiam moderato in homines retundantibus verba proferam, quarum tantum ab illis, qui auræ fluxus protectores, atque pronatores agunt, eumque tanquam pro generis humani ab innumera morborum caterva salvatorem beneficum garrulis labiis extollunt, in quonam fluxus hæmorrhoidalis ab alia sanguinea excretionem differat? an non fluxus hæmorrhoidalis easdem universales, quas quælibet hæmorrhagia, agnoscat causas? an nesciant sanguine crasso, particulis oleosis referto, ideoque ad stagnationes proniore venæ portarum ramificationes donari? an ignorant hunc ipsum sanguinem perpendiculariter per ramos ad hepar revehi? rectum à facibus, & visceribus incumbentibus comprimi, vasaque ejus ab adipe incumbente relaxari, varicibus, obstructionibus, scyrrhis, &c. humorum ab inferioribus ad truncum regressu difficiliore, aut planè impossibili reddito, ansam præberi? an non ex recti situ, structura, functione, sanguine contento adsunt totidem dispositiones, quibus occasione nata sanguis potius in suis vasibus accumulatur, stagnet, aut per ea exitum quaerat, quam alibi? certè.

§. V.

Nulla igitur ratione perspicere queo, qualem hæmorrhoides præ aliis hæmorrhagiis, quæ ex abundantia, spissitudine, acrimonia, nimia humorum fluiditate, aut vitio vasis conciliato, more narium hæmorrhagiæ, vomitus & sputi cruenti in juvenilibus corporibus, prærogativam rapiant: solvunt quidem morbos interdum, at & aliæ evacuationes sanguineæ idem præstant, præservant quoque à morbis: verum ipsæ sunt effectus morborum à qualibet, aut plurium simul memoratarum causarum ortæ, neque aliter, quam criticæ aut symptomaticæ dijudicandæ, semper pro hoste directo aut indirecto, nunquam autem pro benefica naturæ evacuatione censendæ sunt. Ut taceam, quæ ex nimio earum fluxu, nocumenta in corpus humanum propullent, quantum in semel adfuetis, ab earum suppressione periculum impendit? HILDANUS. *centur. II. Observ. 61. & 75.*

§. VI.

Fluentes aut plethoram, aut acrimoniam, aut spissitudinem, aut nimiam humorum fluiditatem, universales, aut particulares in systemate venæ portarum, aut contractam in ipsis parietum ramorum venæ portæ fibris atoniam, vasorum *εὐνομα, αναστόμων, διαπύθωσι, aut διαίρειν* accusant. Ne his, atque aliis sententiæ nostræ fulcris diutius inharere insipidus videar, ad ipsas hæmorrhoidum differentias gressum faciens, B. L. præ omnibus oratum volo, ut ponderata mature temporis angustia, ingenii debilitate, rebusque variis adversæ fortunæ domesticis, quibus

nuper affligabar, in ea, quæ hæcenus minus lucidè prolata sunt, & quæ ulterius sum propositurus, connivere dignetur.

§. VII.

Differunt 1^o. hæmorrhoides, & distinguuntur in genere, in apertas, fluentes, humidas: & cæcas, tumentes, expansas, dolentes.

2^o. In internas, in quibus cruor ex cavitate intestini, vel profuit, vel in grumos coagulatus, venarum parietes expandendo dolentes, cæcas internas efficit: & externas in quibus sanguis ex venis ani externis emanat, aut exire impotens vasa in tumorem elevat, distendit cum dolore, insidendi, atque ambulandi difficultate.

3^o. Ratione invasionis dividuntur in periodicas, id est, quæ certo tempore recurrunt, cessantque, quas more periodi menstruæ in viro observavit AMATUS LUSITANUS *cent. 5. cur. 3.* & vagas, quæ nullâ habitâ periodo, quocumque tempore invadunt, durant, cessantque.

4^o. In immodicas & moderatas.

5^o. In criticas, quæ morbo præcedenti supervenientes vel illum solvunt, vel mitigant ejusdem symptomata, quod melancholicis, atque maniacis præcipuè secundum HIPPOCRATIS effectum evenire debet: & symptomaticas, quæ prægressam ægritudinem exacerbant, ægrumque in pejorem, quam antea fuerat, statum conjiciunt. De his atque illis meminit illust. DE HAEN *Rat. med. p. vii. c. V. p. 388.*

6°. In idiopathicas, quæ à causa in intestino recto hærente natales trahunt, & sympathicas, quæ ab affecto alio viscere, v. g. ab obstructione, scyrrho &c. viscerum abdominalium, à pressione fœtus in gravidis, nixibus puerperii, atque plethora uteri &c. per consensum oriuntur.

7°. Discrepat à fluxu hepatico, hepatitis hæruenta in eo, quod tubercula hæmorrhoidalia sint in podice vel in recto, dolorque in depositione alvi ad anum tantum referatur: præterea oculis parent, aut ægris instar nucleorum sentiuntur interius *Illustr.* SAUVAGE c. IX. p. 81.

8°. A dysenteria differunt, quod nullæ alvi dejectiones præcedant in abdomine tormina, nec tenesmus: nec mucus, nec bilis, nec carunculæ nec membranæ, cum cruore & excrementis in dysenteria mistis, vide clariss. OSTERDYKSCHACHT c. XIV. sed solus cruor fæcibus, ut plurimum induratis affusus, vel sine his ejiciatur.

9°. Dignoscitur à morbo nigro HIPPOCRATIS, in quo sanguis corruptus, færens, instar atramenti, per alvum excernitur, plerumque cum vomitu ejusdem indolis. *Vid. RECUEIL PERIODIQUE d'observat. de Medecin. &c. T. VI. fevr. 1757. p. LXXXVI. & WELSCH curat. Medicin. dec. IV. curat. V. p. m. 183. item PLATER, Obs. L. III. p. m. 779.*

10°. Neque cum aliis ani affectibus, de quibus multus est DOLEUS c. III, rhagadibus, mariscis, condylomatibus, atretis, formicis, verrucis, clavis &c, in quibus dolor varius ad anum relatus, mordicatio, pruritus, materies excreta, excrementa dura,

insidendi, & obambulandi difficultas, protuberantiæ variæ extranum &c. quid communis cum varicibus ani, minus experto impositurum habent, confundi hæmorrhoides cæcæ debent.

119. Minoris momenti differentias ratione figuræ hæmorrhoidum allegant auctores, quibus in uvales, quæ uvis maturis, in morales, quæ moris rugosis, in vesicales, quæ vesicis piscium similes sunt, distinguuntur.

V I I I.

Utriusque affectus causa proxima est sanguinis quantitate, aut qualitate peccantis in recto vel ano accumulatio, qua fit, ut ostiis vasorum apertis, vel imminuta, hiantibus vasorum interstitiis, fibrarum contiguitate elabatur cruor. In hæmorrhoidibus cæcis quidem adest plethora ad venas hæmorrhoidales; ast superfluum humor, utcumque congruatus parietes venarum distendendo varices efformat, quæ intra intestinum, vel extra illud protuberant. Robur parietum venosorum imminutum, impetus advectorum enormis, congestorum uberius moles, volumen expansione auctius, impeditus trajectus *vid. GAUB pathol. §. 203.* tenacitas, spissitudo humorum phlogistica, in hac specie cruoris per anastomosis aut diapedesin evacuationem præpediunt.

§. I X.

10. Inter causas prædisponentes non ultimo loco veniunt obstructions, scyrrhi, viscerum abdominalium, præsertim jecinioris & splenis, ad quæ cruor alias difficile circuitum obiens, vel

omnis vel pro magna sui parte regredi impeditus moratur in ramis hæmorrhoidalibus, eos distendit, crispat, inflammat, aut per eadem è corpore exitum molitur.

2°. Ad hunc affectum non parum disponit corporis obesitas; dum enim viscera abdominalia justo copiosiori adipis quantitate sunt onusta, pondere aucto premunt in pelvim, fitque hac ratione impeditior humorum perpendicularis versus truncum regressus, stagnatio; distensio, dolor, inflammatio ani vel recti, aut sanguinis stagnantis per hiatus dilatatorum canalium successiva evacuatio.

3°. Ipsius materiæ alvinæ induratione, aut contenta materie elastica, comprimuntur venæ hæmorrhoidales, quæ prædito cruoris ad lumen amplius adscensu inferius tument, prouident, dolent, inflammantur, aut humorem effundunt. Idem periculum ischuria, dysuria, stranguria, & quæcumque viscerum adjacentium inflammationes &c. minitantur.

4°. Humor quicumque acris in recto hospitans, terram in compositione vasorum excedendo, vinculum glutinosum attenuando, facta *σπασμῶν* humorum elabationem producit.

5°. Humorum abundantia spissitudo quæcumque aut eorundem major ad pelvim impetus.

6°. Gravidis à descendente fœtu utero ultra modum distenso, recto, partibusque vicinis compressis CLARISS. RÆDERER *elementa artis obstetriciæ* §. 243. p. 111. Hæmorrhoides cæcæ vehementer dolent.

7°. Quibus etiam periodica menstrui sanguinis evacuatio im-

minet, ex nimia uteri repletione hæmorrhoidibus internis aut externis prehendi visæ sunt, uti per bene monet *Clariff. ASTRUC Traité des maladies des femmes* L. I. §. V. p. 73. dum enim uteri vasa jam cruore suffocata, de novo per arterias spermaticas, atque hypogastricas à tergo appellentem ægrius admittere queunt, pro magna sui parte, per ramos collaterales ad exteriora partium naturalium, nec non per ramum hypogastricæ ad rectum secedere necessum est.

§. X.

Causæ hæmorrhoidum procatarticae præprimis sunt, vita sedentoria nimius motus & saltatio excedens, somnus proractor, diurnæ vigiliæ, cibi discepti, saliti, aromatibus conditi, farinacci, verbo, qui crassum & acrem chylum ingenerant. Ingurgitatio liquorum spirituosorum, non fermentatorum præcipuè, à potu abstinentia, clima calidius, aër exæstuans (ideo Italis, illisque, qui in juventute spontaneas narium hæmorrhagias passi sunt, familiares esse observantur) humidus, frigidus, mæstitia, iracundia, nimia applicatio in res seriosas, infessus supra lapides frigidiores, balnea calidiora, emollientia, frigidiora, clysmatum abusus, purgantia drastica, maximè vero aloëtica, imo rhabbarbarina teste MANNARDO in *epist. Medicin. L. II. epist. 3. p. 626.* sennata, atque scammoncata auctore SCULTETO in *armament. chirurg. observat. 77.* uterina positiva: verbo omnia, quæ humores inspissandi exagitandi, ad pelvim invitandi, determinandi, vasa vero recti aut ani relaxandi, aut stringendi virtute pollent.

§. XI.

Sanguinis plus minus floridi ex protuberantibus ani internis aut externis venis effluxus, dolor in stercoris ut plurimum indurati, sanguine tincti, absque præcedentibus in abdomine torminibus exoneratione ad anum tantum relatus, ejusdem antecum, & post scybala rejecta emanatio fluentes: varices internæ aut externæ variâ figurâ, & colore subnigricante prominentes, tensio, dolor, ani inflammatio, cæcas ab omni alio ani affectu distingunt: attendendum tamen est, non semper sanguinem floridum ex hæmorrhoidibus evacuari, nunc enim obscurus, ater, spissus, &c. nunc fluidus, coccineus, nunc loco sanguinis rubri, serosus, albidus, citrinus, mucosus, fœtidus latex evacuat^{ur}, *Conferr. SENNERT. de hæmorrh. p. 427. & SCHNEIDER. L. III. de catarrhis. p. 271. Item FOREST. L. XXIII. Obs. 5. & WELSCH. hecatost. 2. p. 62.* Nec mirum est, in genere enim qualis in cæteris corporis partibus, & quidem præcipuè in systemate venæ portarum, per hæmorrhoides evacuatur cruor: si autem oscula venarum sanguine etiam expansarum non sat hient, aut harum fibræ à mutuo contactu ita tantum secedant, ut humoribus aquosis transitus pateat, retentis in earum cavo globulis rubris, quod quotidie circa imminentem fluxum menstruum observant præctici, transtillat serum.

§. XII.

Fluentes hæmorrhoides plethoram imminuunt, *HOLLERUS de morb. inter. p. 579.* Salutares igitur sunt illis subjectis, quæ

humoribus turgent, obesos præcipuè ob difficiliorem sanguinis ex hæmorrhoidali interna ad splenicam reditum, ab obstructio- nibus præservant, vel orituras præfagiunt. Melancholicis atque nephriticis teste jam HIPPOC. l. VI. aph. XI. *melancholicis & nephriticis hæmorrhoides supervenientes bonum.* IDEM l. VI. aph. XXI. *insanientibus si hæmorrhoides aut varices supervenerint insa- nie fit solutio.* Non quidem credendum est HIPPOCRATIS verba ubique veritatem pronunciasse, visi enim sunt nephritici atque melancholici, hæmorrhoidibus simul affici absque ullo le- vamine. DOLÆUS c. x. p. 287. In genere erunt bonæ hæ- morrhoides, si facta prægressi morbi stagnantis humoris resolu- tione, ille ad massam sanguinis refoertus, & ad vasa hæmorrhoi- dalia depositus per ea évacuetur: huc, quæ catamenia, ac quam- cunque evacuationem habitualement suppressa excipiunt, referendæ sunt: sin autem morbi, quem comitantur, aut subsequuntur, symptomata perstent, vel exacerbentur, ipsam affectus causam proximam totam humorum massam infecisse præfagiunt, *de exirioso hæmorrhoidum fluxu vide illustr.* DE HAEN. l. c. & pagina sequenti, in qua & Medicorum, & vulgi, qui omnes ferè mor- bos hæmorrhoidibus arte provocatis curari opinantur, credulita- tem condemnat, habitamque de familiaritate hujus fluxus inter Austriacos, exemplo bis mille & ultra hominum adstantibus exa- minatorum, inter quos vix quattuor aderant, quorum natura hæmorrhoidum fluxum indicabat, obliterat. Ex moderato hæmor- rhoidum fluxu nulla evidentia in sanitatem nocumenta, si superfluus tantum cruor per venas sedales evacuatur, emergunt. Potius magna

inde in sanitatem emolumenta profluere contendunt auctores, vid. RAYMUND FORT. *Cent.* 3. p. 436. FOREST. l. 23. *Observ.* 4. CELEBERR. STAHL. *pathol.* p. 173. FRIDERIC. HOFFM. *de salubr. fluxus hæmorrhoid.* Item SCHENC *Observ. T. II. Obs.* 172. Naturam hic defectum artis supplementem, humores à partibus nobilioribus revellendo, stases, errores loci, obstructions, inflammationes præpedit, imo à mania, melancholia, scorbuto, scyrho & similibus præservare asseverat ETMULL. p. 127, & RIVER. c. x. p. 315. Longævus ex periodico hæmorrhoidum fluxu viros testantur. *Ephem. N. C. Ann.* 4. p. 39. & p. 52. Ex immodico autem febrem lentam, tabem, marasimum, ani fistulam &c. produci rectè asserunt auctores: etenim per nimias hæmorrhoides, sicuti per quamque excedentem hæmorrhagiam corpus magna, atque balsamica vitalis laticis parte orbatum languet, dejecto fibrarum tono humores pigre moti spissitudinem, in minimis præsertim vasis, in quæ vires cordis imminutæ vix quid amplius possunt, stagnantes acrimoniam contrahunt, febrem lentam, tabem, marasimum &c. producunt, vel resolvuntur, & Anastomasi, Diapedesi, aut Diarresi ex hiantibus vasorum poris elabuntur in cellulas, cava peculiaris, œdemata, leucophlegmatiam, ascitem &c. generant, virosque subinde adeo debilitant, ut ad venerem impotentes reddantur.

§. XIII.

In genere hæmorrhoides cœcæ, omnium auctorum consensu fluentibus majus portendunt periculum, si enim vena expansæ

cruore non maturè liberantur, metus est inflammationis, abscessus, ulceris, fistulae, scyrrhi, *Confor.* ETTMULLER. p. 128. quod & à priori facillè perspicitur. Distendunt etenim grumi sanguinis venam, ex qua emitti nequeunt, calore sensim stagnantes corumpuntur, in pus abeunt, quod eo faciliùs fistulam relinquit, quò secum putrefactio, bilis alkalescentia, utpotè quæ abscessui immediatè applicata consolidationem præpediunt, bonum pus in saniam putridam, acrem convertere, sinus infodere, callos generare queant.

§. X I V.

Ut curatio ex voto procedat, præ omnibus attendendum est, in genere fluxum hæmorrhoidalem difficiliorem aut planè impeditum sanguinis in visceribus, quæ cruorem ad truncum venarum portarum revchunt, circulum, & majorem ejus per mesentericam inferiorem, & hypogastricam impetum, aut copiam denotare. In priori casu obstructis abdominis vasis, qui lentè alias ascendit, cruor in hæmorrhoidalibus remoram patitur, adveſta interim eadem nova per arterias sanguinis unda accumulatur, ideoque hic fluxus adeo familiaris est illis, qui abdominis laborant obstructionibus: in secundo autem, posito majori adpulsi per arterias sanguinis in rectum impetu, aut copia, eadem proportione non deplentur venæ congeneres, præcipuè interna, atque retenta cruoris non adſueta quantitate debilitari, expandi, expansis, & contento stercore accumbentes validè comprimi, compressas ad lumen amplius sanguinem mittere impediri, propagata sic sensim tuberculo compressione dilatatis ultra modum

hæmorrhoidalium ramis, fluentes aut cæcas subsequi necesse est.

§. X V.

Ex quibus lucidè patet, hæmorrhoidum fluxum obstructionum abdominalium effectum esse, iisdem maturè sublatis tolli, arte aut casu præservatis abesse; quæ fluunt igitur emissâ superfui, stagnando spissioris redditæ cruoris copia, residui fluidioris ascensum facilitando ab imminentibus præservant, factasque paliant.

§. X V I.

Ad perfectum itaque hæmorrhoidum curam indicatur 1^o. massam humorum imminuere, ad pelvim impetum avertere. 2^o. Sanguinis per systema venæ portarum circuitum faciliorem reddere. 3^o. Obstructiones hæmorrhoidum causam referare. 4^o. & ultimo congruato sanguini exitum parare.

1^{ma}. Indicatio venæ sectionem in brachio institutam, iteratam, moderatum corporis motum, situm ejus horizontalem, temperantia &c. sedulam ab omnibus, quæ humores exagitant, ad pelvim derivant, determinant, pediluvii, purgantibus drasticis, aloëticis, emenagogis positivis, & similibus, abstinentiam requirit. Iisdem ferè remediis, nisi quod obstructions validioribus resolventibus amaris, saponaceis, alcalinis, gummatibus ferulaceis referari debeant, secunda atque tertia indicatio adimplentur.

4^o. Facta in tumentes incisione educuntur sanguinis grumi.

§. XVII.

In specie autem hæmorrhoides curanti, ad solidorum & fluidorum vitia detegenda præprimis intentio sit, quæ, cum in humorum abundantia, spissitudine, fluiditate nimia, acrimonia, & solidorum debilitate consistant, requiritur illud, quod ex his præter naturaliter corpori inest, ex eo expellere, corrigere. Nequaquam autem id adeo facile adimpleri poterit, nisi forsan sola humorum abundantia universalis in causa fuerit. Diversa earumdem complicatio, temperamentum, ætas, sexus, affectus chronici conjuncti, præcipuè morbi viscerum abdominalium, aut curam prolongant, aut spem in augusto ponunt.

§. XVIII.

1°. Nimia humorum quantitas venæ sectione revulsoriâ in brachio instituta, & si opus est iterata, nitrosi, purgantibus saponaceis ex cassiæ pulpa autoribus adeò deprecata, pulpa tamarindorum cum sero lactis, syrupisque acefcentibus per aliquos dies exhibita, jusculis ex carne vitulina, juniorum animalium, cum herbis charcofolii, lactucæ, endiviæ, portulacæ, & similibus, victu tenui humectante, parum nutriente, ex vegetabilibus potiùs quàm animalibus constante, abstinentia à vino, mentis corporisque quiete, imminuitur.

2°. Qui ab humorum acrimonia sortitur venæ sectione in brachio demulcentibus, antihecticis, diluentibus, aquis ferriis, iisdem laxantibus, sero lactis, lacte vaccino, asinino, caprillo, herbis

subadstringentibus, antiscorbuticis, clysteribus oleosis &c. curatur. Spissitudinem humorum V. S. itentidem in brachio celebrata, diluentia, acida vegetabilia, antiphlogistica, nitrosa, antimonialia, acidulæ, resolventia, saponacea &c. pro ejusdem genio accommodata feliciter tollunt.

3°. Nimia humorum fluiditas, demulcentibus, incrassantibus, oleosis, lacteis, potu parco corrigitur. In hac præsertim specie millefolium, subadstringentia, tonica, martialia internè exhibita, clysteres ejusdem genii, ut humorum elapsus præcaveatur, pro re nata erunt.

4°. Nimia vasorum debilitas, cum supponat, aut majorem, quàm naturaliter continere possunt vasa, humorum copiam, aut eorundem rigiditatem, aut laxitatem, nunc venæ sectione, nunc relaxantibus, nunc roborantibus iisdem, quæ in priori specie laudata sunt, emendatur.

§. X I X.

In omni autem memoratorum specierum ad genium mali, durationem, subjectum, temperiem, ætatem, &c. ne non indicatæ provocentur perperam, aut fluentes præmature sistantur, ratio habenda est. Sin verò, quod rarè contingit omnibus incassum exhibitis, hæmorrhoidales venæ sanguinem fundere continent, viresque dejiciantur ad fortiora adstringentia internè atque externè exhibita descendendum; iisdemque, quæ ad omnem nimiam hæmorrhagiam adhibentur, remediis seriò propugnandum est. ILLUSTR. SAUVAGE ex longo usu lactis pro omni

eibo , & linctū catelli mariscis applicati hæmorrhoidarium jam febre lenta exhaustum sese restitutum vidisse restatur.

§. X X.

Tandem de hæmorrhoidibus cæcis, de quibus Chirurgia præcipit , unice monebo , præferendam esse secundum CLARISS. AB HUMBOURG *Dissert. Argentorati habita* , hirudinum applicationi , incisionem cautam in loco , ubi grumus hæret , quod jam perspexit , JUVENALIS MATHÆUS DE GRADIS , & FRANCISC. FRISIMELICA *vid. ALEXAND. MASSAR. p. 240.* Raro enim evenit, hirudines tuberculo venoso immordere, sique fors accidit, ut illud perforent, nequit tamen grumus per foraminulum exire nec exprimi , restat igitur extracto fluidiore sanguine idem tumor. Atque sic dissertationi impono

F I N E M.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S




UNIVERSITÄT
ARTIFICIOSA
CUM VENAPORTA
PRASIDE DIVINO
FACULTATE
JOHANNES













Strassberg, med. Diss., 7.
Faust-Fuchs
(1.)

ULB Halle

3

004 932 633



Sb





Inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Q. D. B. V.

INAUGURALIS MEDICA

ISTENS

ES TUMULTUARIAS

DE

ARRHOIDIBUS

QUAS

vissimi Medicorum ordinis

LICENTIA

MEDICINA HONORES

EGIA DOCTORALIA

ONSEQUENDI

mbri A. R. S. MDCCXIV.

TORUM EXAMINI SUBMITTIT

FRIDERICUS FRISON

ERA SPIRENSIS.

H. L. Q. C.

MENTORATI,

& LEVRAULT, Regiæ Intendentiaë

ticaë Typographos.